



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Stella Benedictina Sive Regula Sanctissimi Patris Nostri
Benedicti**

Meyenschein, Benedikt

Hildesii, 1725

VD18 10311831

XXVIII. De his, qui sæpius correpti non emendaverint. Cedere qui verbis
plagisque recusat acerbis, Abscissus vadat, nè bona turba cadat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65028](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65028)

illum, exhibendo illi majora charitatis officia. Patet ex Vulgatâ, ubi legitur: in illum.

l) Intercedendo vel apud Abbatem, vel apud Deum oratione privatâ; nam publica non licet.

m) Id est, curæ suæ commissis.

n) Ezech. 34. non quidem iisdem verbis, sed similibus.

o) Id est, quod pingue & forte videbatis in grege meo, assumebatis [sive ut legit Vulgata: occidebatis] pro vobis, sive in commodum vestrum. &c.

p) Scil. Filii Dei.

q) Puta, novem Angelorum choris.

r) Æternis, sive in celo.

s) Intellige, gentem humanam in terris.

t) Nam languores nostros & peccata ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit. Isa. 53.

u) Scil. electorum.

5. MART. 5. JULII. 4. NOVEMB.

CAPUT XXVIII.

De his, qui sæpius correpti non emendaverint.

Si-

Siquis Frater frequenter correptus fuerit pro quâlibet culpâ, si etiam excommunicatus non emendaverit, acrior a ei accedat correctio; id est, ut verberum vindicta *b* in eum procedat. Quod si nec ita correxerit, aut fortè [quod absit] in superbiam elatus, etiam defendere voluerit opera sua, tunc Abbas faciat, quod sapiens Medicus. Si exhibuit fomenta *c*, si unguenta adhortationum, si medicamina Divinarum Scripturarum, si ad ultimum ustionem *d* excommunicationis, vel plagas virgarum; & jam si viderit, nihil suam prævalere *e* industriam, adhibeat etiam, quod majus est, suam & omnium Fratrum pro eo orationem *f*, ut Dominus, qui omnia potest, operetur salutem circa infirmum Fratrem. Quod si nec isto modo sanatus fuerit, tunc jam Abbas utatur ferro abscissionis *g*, ut ait Apostolus *h*: Auferte malum ex vobis *i*. Et iterum: Infidelis si discedit, discedat: nè una ovis morbida *m* omnem gregem contaminet *n*.

a) *Non in se, sed respectu talis improbi, qui plus cuti suæ, quàm animæ metuet.*

- b) *Sive pœna.*
- c) *Fomentum dicitur illud, quo aliquid fove-
mus contra frigus sive externum in corpo-
re, sive internum in animo vel vitâ spi-
rituali.*
- d) *Per analogiam ad maleficum, qui in fron-
te aduritur cauterio, sicque ab hominum
commercio arcetur.*
- e) *Id est, efficere.*
- f) *Putat, in privato, ut dictum supra.*
- g) *Idem ante & post tempora D. BENE-
DICTI placuit S. August. Basil. & aliis.
Nihilominus Caput fin. Extra. de Reg.
& Sacrum Concilium Trident. districtè vo-
lunt, tales mancipari carceri: Post an-
num verò, si ibidem non resipiscant, ex
Decreto Urbani VIII. ejici possunt. Vid.
Statuta Bursfeld. pag. 214.*
- h) *I. Cor. 5. Sequens autem, ib. c. 7.*
- i) *Hoc est, ex vestrâ Societate.*
- l) *Qualis censetur excommunicatus, juxta il-
lud Matth. 18. Si Ecclesiam non au-
diêrit, sit tibi sicut ethnicus & publi-
canus.*
- m) *Seu scabiosa.*
- n) *Id est, totam Congregationem malo exemplo
depravet.*

6. MART.